

Verum si lacrymis vitæ non redditur, olim
 Horti spes Rosei, gemitu mea parce camœna,
 Demutaque tuas precibus devota querelas.
 Summe Deus, miserande Deus, pater alme, furoris
 Desine, nec plenas indulge lævus habenas
 Iræ conceptæ: miseri memor esto popelli.
 Quæ speranda salus ovibus custode remoto?
 Mysticum ovile tuum spolias, seræque salutis
 Spes ovibus miserè passim balantibus aufers.
 Leucoris ÆGIDIUM queritur, RIBIUMQ; SEDINUM:
 Mœsta Lubeca suos: CHYTRAEUM LOBECHIUMQ;
 VARNUS: quid reliquas vario sub sidere narrem?
 Ah pater irarum miseratus flecte flagellum:
 Vel si nos aliquâ [meriti velut omnibus horis]
 Pænâ onerare placet; leni tamen antè furorem:
 Ac quavis potius puni vibice popellum,
 Quàm patiare tui spoliari munere verbi;
 Quod quassans Ecclesiolæ minitare columnas.
 Ah pater irarum cohibe miserando flagellum,
 Et Patria incensum muta bonitate furorem.
 Parce gregi misero, Bellumque, Luemque, famemque
 Ablega ad gentes divini nominis hostes.
 Nobisq; HUNNIADAS, CHYTRAEOS, LOBECHIOSQ;
 CHRISTE extrude novos, ne vanis mœsis Aristis
 Te ludat, quando tua condes horrea coelo.

IOHANNES VATKIVS.



O Decus, ô nostri columen prælustre Lycei
 Occidit, æternum plangite Varniades.

Plangite